

Thomas Lindemann

## **Triumphus Cristi Resurgentis, Ad quem pie ac devote celebrandum Cives Academici invitantur**

Rostochi[i]: Pedanus, 1629

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734600666>

Druck Freier  Zugang



R U Progr 1629/c

1) Thom. Lindemann

4

3) Jochim Stocmann.



TRIUMPHUS  
CHRISTI  
RESURGEN-  
TIS,

Ad quem piè ac devotè ce-  
lebrandum

*Cives Academici invitantur.*

THOMA LINDEMANNO,  
J. U. D. & Professore.



Rostochi

Typis exscripsit Joachimus Pedanus,

ANNO M, DC, XXIX.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn734600666/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn734600666/phys_0003)

DFG

RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
THOMAS LINDEMAN,  
Juris Doct. & Professor.



IRca hocce anni tempus, & quidem hoc ipso 5. Aprilis die, Romanos Ludos Triumphales in memoriã Cæsaris adversus Pompejum & Jubam solemniter egisse, memoriã proditum est. Hoc ipso quoq; die, in honorem Magnæ Deum matris sacra, quæ Megalesia dicta fuerunt, instituta sunt; simulachro vicatim circumgestato, publica læticia indictâ & cui libet licentia permissa, representandi insignia summarum dignitatum. In hisce namq; communiter lætitiã velut omnibus pariter partâ frui licebat. Alexandro Magno Babylonem triumphando ingrediente, totum iter floribus constratum erat; argenteis altari- bus ab utroq; latere dispositis, quæ thure omnibusq; odoribus cumulata fumabant, Leones & Pardales caveis inclusi præferebantur. Triumphorum apud omnes gentes solemnitas & pompa fuit maxima; trophæa victoribus decreta,

1716

*Faustina* & *Antonina* acclamata. Romani aureo curru  
quatuor equis triumphabant; Imò reges victi  
apud eos ante currum triumphatoris catenis  
vincti duci solebant: Sic Paulum Consulem de  
Perseò Macedoniae Rege, Metellum de Andri-  
sco, Marium de Jugurthâ, Anicium de Gentio  
Illyriorum Rege triumphasse accepimus. Seso-  
stris à Regibus subactis, Pompejus Elephâtibus,  
Antonius Leonibus, Valerianus cervis cùribus  
triumphalibus adjugatis, vecti sunt. Julius Cæ-  
sar ascendit ad Capitolium curru eburneo à  
quadraginta elephantis tracto, dextrâ atq; sini-  
strâ lychnuchos gestantibus. Exstat quoq; ad-  
huc Romæ Triumphus Titi Vespasiani de Judæis  
acti vestigium, in quo Imperator ab Alatâ victo-  
riâ coronatur, cùrui præfertur arca tabulæ Mo-  
saicæ cum candelabris & lucernis templi. No-  
tabiles Triumphus Gedeonis, David, Sambsonis,  
Machabæi in veteri fœdere descripti. Ast major  
hiscè victoria, quam Moses rubrum mare ventis  
miraculosè divisum sicco pede tranâs, Exercitu  
Ægyptiorum potentissimo submerso, obtinuit.  
Ast omnis triumphorum & trophæorum pom-  
pa ac magnificentia si cum trophæis hujus diei  
comparatur, vilescit. Hodie namq; Dominus  
dominantium perruptis inferorum repagulis,  
disjectis cohortibus Satanicis, devictis Furiis,

vinctis Draconibus & Leonibus infernalibus;  
nos perpetuæ captivitati imò morti & Gehennæ  
mancipatos, ex durissimis vinculis libera-  
vit, atq; secum in triumphum ductos cælesti  
patriæ quasi postliminio reddidit. Jason bobus  
ignitis aprisq; æripedibus prostratis, vellus au-  
reum recuperavit; Hercules monstra quæ tel-  
lus gignere potuit reterrima vicit, vinxit, imò  
Cerberum ipsum catenâ triplici ligatum capti-  
vum duxit, & ex Plutonis domibus Theseum,  
Alcestin revocavit. Ad eundem quoq; modum  
Salvator noster cælestis ille Jason, ignivoma  
monstra superans, aureum Innocentiæ ac Justi-  
ciæ vellus hominibus restituit; Hic verus Her-  
cules infernalem Cerberum constrinxit, & uni-  
versum mortale genus Orci faucibus eripuit. O-  
lim spolia quæ in conflictu Dux Ducij detraxe-  
rat opima dicebantur, & in Jovis Pheretrij tem-  
plo in Capitolio suspendebantur. Christus Sty-  
gium hostem armis quibus superbiebat exiit, &  
de eo spolia opima in cælesti palatio æterno Pa-  
tri suspendit. Hunc triumphum Ambrosius de-  
scribens, inquit: Expers peccati Christus, cum  
ad ima Tartara descēderet, seras januasq; cōfrin-  
gens, vinctas peccato animas, mortis domina-  
tione destructâ, ex Diaboli ricu erutas, ad vitam  
reduxit. Unde Cyrillus scribit: Mortem aspectu  
hujus

hujus victoris exterritā, subito ligādam se ultro  
exhibuisse. Hicce triumphator non Philistinū  
Gigantē Goliathum, sed monstrosū infernalē  
Behemoth, & Leviathā prostravit, hic verō ille  
Sambson qui refixis infernalibus claustris, &  
vestibus ferreis con fractis, viam sentibus pec-  
catorum obstructam aperuit. Imperatores olim  
dicti fuerunt, quorum auspiciis mille hostes cæ-  
si sunt, iisq; triumphus decretus. Ast hodie non  
mille hostes, sed omnes omnino Diabolicæ tur-  
mæ ac legiones protritæ jacent. Triumphantes  
primo Diis thura solvebant, deinde dona, coro-  
nas, armillas, & missilia varij generis jactitabāt.  
Imperator noster manē surgens, patri suo se ob-  
tulit, dein ad miseros nos peccatores se conver-  
tit, *κίβητις* preciosissima, vitam & æterna gaudia  
donavit. Acclamemus itaq; ei Paulinum illud  
*Ἐπιβίχιον*: Absorpta est Mors in Victoriā. Ubi est  
mors stimulus tuus? ubi tua inferne Victoriā?  
Deo autem gratia qui tribuit nobis Victoriā,  
per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM.  
Redit hodie Redemptori nostro illa mens vi-  
ctrix gloriæ suæ splendore quasi purissimis vesti-  
bus amicta; comitatu Angulorum caterva,  
quorum alij victori triumphos accinunt alij  
gaudio tripudiant, alij lauros ac palmas præfe-  
runt, alij augustum cœlestium florum nimbū



plenis manibus inspergunt. Et ubi jam oris pal-  
lor? ubi illita sputorum spurcicies? ubi concre-  
tus sanguis? ubi spinarum vestigia? ubi verbe-  
rum vibices? ubi manantis cruoris rivus? exi-  
guo momento tanta ignominia fuligo deterfa-  
est, & gloria fulgore repleta omnia. Nunc frons  
serena, nunc illustres oculi, nunc ad gratiam ru-  
bescentes genae, nunc os purpureum, nunc vi-  
brat auro caesaries; Denique totus est quasi Sol è  
nube prorumpens. Hujus diei solemnitas tanta  
in primitivâ Ecclesiâ existit, ut omnes se rotos  
Deo sacrarent, noctesque insomnes agentes pre-  
cibus vacarent; Ut vero super ceremoniis & in-  
stitutis Ecclesiasticis variis schismata suborta-  
sæpe fuerunt; ita dies ipse Paschalis dissensiones  
periculosas, imò & perniciosas peperit. Asiatici  
namque decima quarta Luna, quando Judæi A-  
zuma præparant, Pascha celebrant; & Policrates  
Asiaticam observationem non tantum ad tra-  
ditionem Philippi, Policarpi refert, verum et jam  
addit observationem illam esse ex præscripto Ev-  
angelij, & secundum Canonem fidei. Victor ve-  
ro Romanus Europæam observationem, quæ  
Pascha in Dominicam post 14. lunam differebat,  
sub pœna excômmunicationis Asiatici imposuit.  
Et quidem hæc contentio adeo crevit, ut ad eam  
sopiendam conventum Nicææ conscribere, &

ibi

ibi Europæorum sententiam approbare necesse fuerit.  
Verum recte Irenæus superstitiosam magis quam neces-  
sariam hanc controversiam fuisse tradit; Unde & Socra-  
tes lib. 5. c. 22. refert, Ecclesiæ communis decretum fuisse,  
nec Evangelium nec Apostolum tale jugum servitutis  
Christianis imposuisse, sed instituti Paschatos intentionē  
fuisse, certo die Eucharisticum hostimentum exsolvere.  
Dies vero ad id destinatus, Dominicus teste August. c. 22.  
de Civit. Dei Domino dominantium appellatus Sabba-  
tho Judaico abrogato, Sabbatho Christianorum initium  
præbuit. Christus resurgens non modo Triumphum e-  
git, sed in medio militum suorum Apostolorum nimirū  
se sistens, Caduceum verum vibravit, pacē denunciavit.  
O quam dulce & jucundum Pacis nomen! res ipsa mul-  
ta jucundior! imprimis hoc tempore quo ea vel penitus  
fugata, vel submersa, vel defossa videtur. Nemo est  
qui non gemitibus & precibus Pacem anhelet. Ita ut  
hoc afflictissimo rerum statu, Agricolaë apud Aristopha-  
nem Poëtam representati, in Scenam hancce munda-  
nam prodire videantur, qui calamitatum Graciæ per-  
tasi, belli Peleponesiaci non solum oprabant lanceas  
telis aranearum obductas componi, sed & ligonibus  
ipsis terram & Vestam Deam ad exinde Pacem quæ in  
interiora terræ migrasse videbatur, reducendam, tenta-  
bant, Solerti hac sollicitudine nunc vel maxime opus  
est, cum Pax spreta, pedibus calcata in exilium plane  
ejicitur. Quocumq; enim te vertas, seu aulas Principum,  
vel Papales Basilicas, sive Curias Rerump; perreptes, &  
sagacissime pervestigas blandas ubiq; consalutationes,  
amicos complexus, hilares comotationes reperies; ast  
umbram aliquam veræ Concordiæ ac Pacis cernere vix  
licet. Pax adhuc locum tutum quæritat, nullibi hætenus  
invenit; nulli per naturam magis quam homini conve-  
nit,

nit, à nullo animali magis quam ab homine pellitur & affligitur. Inermis & nudus enim licet in hanc lucem præ omnibus armatis animalibus natus, seditiones, tumultus, bella spirat. Solus hodierni dici Triumphator longè maximus, potentissimus, titulum. Pacifici ab ipsa primâ nativitate meritis est. Concinit huic mysticus ille cytharædus: Et factus est inquit, in Pace locus ejus. Angeli huic triumphatori non classicum cantant sed *ἐπιμύθηον* denunciant. In terra Pax hominibus non iis, qui cædes spirant, qui feroces ad arma gestiunt, sed qui humanitatem amant. Christus ipse superatis hostibus triumphans non bellum renovavit, sed Pacis nomine subinde suos salutavit, & eamq̃ salutandi formulam præscripsit, moriens suis reliquit resurgens eandem inculcavit. Athenienses aras Paci publicas fecisse, eiq̃ Deæ pulvinar non solum instituisse; verum etiam thura adolevisse, historicorum monumenta testantur. Nos Cives Academici ad Christum Triumphatorem nostrum veluti veram Pacis aram confugiamus eiq̃ præcū thure litemus, utpote gratissimo divinis naribus suffimento. Quo post tot periculosorum bellorum actus, diu multumq̃ intestinis motibus ac seditionibus quassatæ Germaniæ, malacia quædam, & tranquilla Halcedonia tandem restituantur. Ad redeuntis exercitus triumphum priscitus effusa omnis multitudo obviam prodibat, & præcipuè Ducē mirabatur, imò ipsis quoq̃ Triumphis diebus candidis vestibis amicta incedebat. Occurramus igitur & nos Victori CHRISTO niveis stolis induti. Innocentiâ nimirum & Sanctitate, Agnoscamus immensum hoc resurrectionis beneficium, & gratiarum actionem conjungentes laudemus patris bonitatem, prædicemus Filij misericordiam, extollamus Spiritus Sancti favorem non oris saltem ministerio, sed intimi pectoris proluvio & fidei exundantis instinctu; quod nos Cives ac Incolas cali fieri voluerit. P. P. Rostochijs. Aprilis.





celebravit. Et certe si quis Dominum  
luctam cum infernali Dracone sub  
à Principe mundi institutam contra  
non somnium excutere, ocium &  
bo in castris degente Urias secure  
tum premere piaculum duxit. Ele  
rum mori sanguineo colore Domi  
tes animati acrius pugnant. Ecce  
hoste nostro pro nobis configit,  
fundit, mortem & orcum vincit,  
rat, Hac autem tum de mum vere p  
militiæ sacræ sancte servamus, lori  
induimus. Bacchum subinde ill  
diantem armis precum & jejuni  
hoc imprimis tempore eo diligen  
dum est, quo Satanam jam terribi  
furoris reliquias sub regni sui fine  
& advertimus. Nos cotidie in hac  
agi, signa nocte dieq̄ dari, milites s  
mus, Jehovæ gratias toto corde a  
undequaq̄ saviante palatium tutu  
bus togatis militibus asylum secu  
Militiæ togatæ gubernatio cum m  
missa sit, ejusq̄ pars non postrema  
mam Christi instituta militia sacra  
esse duxi milites sub vexillis Aca  
certamen sacrum cum Salvatore  
mare, & exercitu nostro licet exil  
strato, aggerum Academicorum  
alios Bacchi satellites & sacri ordi  
mata, vel à castris nostris arcere v

tempore  
iciat, acie  
on potest  
stari. Joa  
nolle stra  
ectu uva  
os putan  
ster cum  
uum pro  
oriam pa  
ndo leges  
ileam spei  
nobis insi  
mus. Idq̄  
llaboran  
xhibere &  
cernimus  
excubias  
oni vide  
d Bellona  
militanti  
m fuerit.  
ore com  
ta ad nor  
officij mei  
rentes ad  
ndum ani  
ilapso lu  
n hortari  
carcino  
ercitos in  
ordinem

